



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

n. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

capitibus non licuit, hic vniuersim etiam de singulis quæ in his literis comprehenduntur, auctoritate nostra & fide in conspectu Dei protestamur, Nos omnia & singula huius foundationis capita, ad Dei gloriam, Ecclesiæ augmentum, nostram consolationem, & totius, non modò Ecclesiæ, sed nostræ etiam Prouinciæ vtilitatem sic constituisse, & quidem maturo, non nostro solum, sed etiam aliorum prudentum, & Patriæ, & Catholice Religionis amantium consilio, & certa & diuturna deliberatione, quâ conscientia & mente freti liberius, fidentiusq; hanc omnem nostram fundationem, donationem, & quidquid demum his literis expressum est, fecimus & stabiluimus, non solum nostro, sed etiam posterorum ac successorum nomine, quos eisdem posteros & successores nostros, atque etiam omnes eos cuiuscunque status, ad quos huius nostræ foundationis quocunque modo pertinebit executio per amorem, exempla, & merita maiorum nostrorum, per honorem & gloriam totius familiæ ac domus Bauariæ, per caritatem dulcissimæ patriæ & Prouinciæ nostræ, per quicquid cuique potest esse carissimum, per misericordiam omnipotentis Dei, per illud extremum & terribile iudicium, aut si potest maior esse & efficacior obtestatio, hortamur, monemus, obsecramus, obtestamur, adiuramus & strictè obligamus, vt hanc nostram fundationem, institutionem, assignationem, applicationem, concessionem, quæq; in his literis continentur vniuersa, & singula, minima atque maxima, inuiolata manere, per se suosque ea fide & conscientia curent, tanquam de qua coram æterni Iudicis tribunali, Nobis seuerè poscentibus rationem sint reddituri.

X X: Quia autem hoc tempore quo bello omnia flagrant, nulla Nobis occurrit opportunitas eam summam aliquo in loco Leodij, aut vicino, ad census annuos tuto, & vtiliter certo collocandi; multo minus autem ratio apparet fundos, prædia, aliaque bona stabilia coemendi in illis Prouincijs, vnde annuus iste census conficiatur, idcirco statuimus ex nostra Camera Monacensi, seu ærario prædicto, certum censum in singulos annos pendere, nempe quinque florenos in centum, atque ita decem millia annua in ducenta millia summæ Capitalis: dimidiam partem quidem, hoc est, quinta millia vernis nundinis Francofurtensibus, alteram dimidiam autumnalibus nundinis, nostro sumptu, nostroque periculo Francofurtum deferri curabimus, vt eam ibi Rector Collegij per se vel suos substitutos integrè & certo recipiat. Censum autem in proba & Imperiali moneta solui volumus vt de summa Capitali diximus. In sacro Romano Imperio contingit quidem aliquando rei monetariæ conturbatio; ne tamen inde detrimentum capiat nostrum Collegium quod fundamus, quodque maximè florere peroptamus, paterno affectu prospiciendum iudicauimus; proinde promittimus, & nos, successorumque nostros, vt ad cætera omnia, ita ad hoc obligamus vt dalerum Imperialem pro viginti duobus Batzijs & dimidio soluant, seu pro floreno & dimidio; & eadem proportione aliam monetam, siue argenteam siue auream, quæcunque illo tempore, vel ex principum placitis, vel vsu populi, aliaque

Gggz

quacunque

1626. quacunq; de causa, sit moneta æstimatio; ex singulari enim pacto, scientes volentes, hunc contractum motu proprio conficere nobis placuit Nihilominus tamen Nobis & successoribus nostris Bauariæ ducibus potestatem reluendi expressè & diserte reseruamus, vt quandocunq; ita visum fuerit possimus summam ducentorum millium florenorum vel præsentì pecunia data persoluere & representare; vel fundos, & prædia ex quibus tantundem capiet Collegium nostrum coëmere, atque hoc pacto annua pensione Nos, & Cameram nostram liberare: Tum autem eodem modo & æstimatione soluemus vt ante expressimus, nempe, florenum pro quindecim Batzijs, & dalerum Imperialem pro floreno & medio, aliisque nummos ea proportione quam habent ad dalerum Imperialem. Ne inopinata autem ista solutio damno sit Patribus, integro ante anno monebitur Collegij nostri Rector, vt de pecunia vtiliter expendenda prospicere possit. Collegium quidem commodam habitationem & hortum habet, sed pretium adhuc magna ex parte debet; quare summam ducentorum millium florenorum ita diuisimus, vt pro domo & orto quadraginta millia, pro cætera fundatione seu alimentis centum sexaginta millia soluere censeamur, atque eo modo Nos & Coniux nostra, ex integro Collegij fundatores & constructores simus & habeamur.

XXI. Hæc animo in Societatem plane paterno, & hæreditaria beneuolentia, memores eam Maioribus admirabiliter dilectam, defensam, auctam, præstabimus; Nos & posteros nostros ad ea quoque præstanda his literis obligamus. Ab ipsa tamen Societate nihil singulare, nihil noui, nisi illud ad quod ex instituto suo obligatur, reposcimus, nec lege vlla, aut extraordinario eam onere grauare nobis in animo est, cum nobis persuasum sit omnes secundum Institutui sui rationem à tot Pontificibus & Cõcilio Tridentino probati, & toto orbe Christiano abunde spectati & laudati, ita in sapientiæ studijs, virtutibus, pietate exemploque bono omnibus latis facturos, vt ad Dei gloriam proximique salutem Sancta sua libertate zeloque plura præstituri sint quàm si Nos aliqua in re modum normamque præscribere velimus: Hoc solū petimus, quod & Nos iure flagitare possumus, & ad quod Patres vi constitutionum & legum obligantur, vt nos & coniugem nostram pro fundatoribus suis agnoscant, pijs suis precibus & Sanctis Sacrificijs diuinæ gratiæ & protectioni impense commendēt, deinde domum nostram Patriamque, quam ad hanc tam difficili tempore fundationem obligamus, amore & orationibus suis perpetuo prosequantur. Quin etiam omnes, præsertim posteros, in nomine, & per Iesu Christi sanguinem rogamus, vt sicut Nos, proavi nostri Wilhelmi, Aui Alberti, Patris Wilhelmi, Serenissimorum Bauariæ Ducum sollicitudinē, affectū & liberalitatem in tuenda & propaganda Societate imitemur, & hanc beneficiendi hæreditatem cupidissime amplectimur, ita illi quoque Maiorum, Sancti Ignatij, ac aliorum Sanctorum & Doctorum virorum vestigijs gnauiter, & constanter insistant, memores ideo nullas in hac fundatione

tione